



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVI. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Episcopvm De Vibicis.  
Valerianum presbyterum commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

*Mense Decembri, indictione undecima.*

EPISTOLA XV.

GREGORII PAPÆ I.

AD SCHOLASTICVM DVCEM CAMPANIÆ.

De episcopo in Neapoli eligendo.

*Gregorius Scholastico duci Campaniae.*

\*ad. refe-  
nationis

**D**VM de Neapolitanæ ciuitatis cura destitutæ sacerdotis solatio vehementius angeremur, superuenientes præsentium latores cum decreto in Florentium subdiaconum nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationum pondere \* reuelationis innuerant. Sed dum præfatus subdiaconus noster refugiens ciuitatem ipsam, ordinacionem suam lacrymabiliter euafisset, quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite creuisse mœstiam. Atque ideo salutantes hortamur magnitudinem vestram, ut conuocantes priores, vel populum ciuitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad sacerdotium promoueri. In quo decreto solenniter facto, atque ad hanc urbem transmisso, ordinatio illic tandem Christo auxiliante proueniat. Sin autem aptam non inuenietis in quam possitis consentire personam, saltet tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota consentiat. Forsitan huc venientes, præstante Dei misericordia, talem reperient, qui vobis antistes irreprehensibiliter ordinetur, quatenus destitutæ ciuitati vestræ nec intrinsecus actuum suorum desit inspectio, nec extrinsecus, adhibita solitudine sacerdotis, hostilibus aditus præstetur insidiis.

EPISTOLA XVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM DE VIBICIS.

Valerianum presbyterum commendat.

*Gregorius Petro episcopo de Vibicis.*

**L**ISET fraternalitatem tuam piis de causis non dubitemus sponte impendere, verum tamen quia proniorem eam

*Concil. Tom. 13.*

O o ij

nostra fieri arbitramur epistola; idcirco præsentibus tibi indicamus apicibus, horum latorem Valerianum presbyterum pro redemptione captiuorum in illas partes aduenisse: cui tanto enixius in omnibus debetis ferre solatum, quanto eum mercedis intentione longinqui itineris laborem assumpsisse cognoscitis. Sic enim & hic quod intendit te adiuuante perficiet, & fraternitas tua pro impenso solamine magnam apud Deum, sicut desiderat, retributio nem inueniet.

*Mense Ianuario, indictione undecima.*

### EPISTOLA XVII.

### GREGORII PAPÆ I.

AD GRATIOSVM SVBDIACONVM.

De possessionibus Floræ abbatissæ reddendis.

*Gregorius Gratioſo ſubdiacono.*

Grat. 12. qu.  
2. cap. 75.  
Anf. libro  
5. cap. 32.

**R**E LIGIOSAM vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cuiusdam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur, quod absit, conuersationis infringat. Idcirco præsenti tibi auctoritate præcipimus, quatenus domum positam in hac vrbe, regione quarta, iuxta locum qui appellatur, Ad gallinas albas, vel hortum iuris sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui Deo auctore præfidemus, in qua Campana quondam vxor Patrii mansisse dignoscitur, simul & hortum atque hospitia quæ intra eamdem domum ianua concludit, Floræ abbatissæ debeas tradere, proprietatis iure procul dubio possidendum. In qua domo monasterium virginum, ubi cum congregatione sua habitare possit, Christo queat adiuuante construere: vt tam ipsa, quam etiam quæ in eius loco honoreque successerit, prædictam domum & hortum cum omnibus ad se pertinentibus, sicut diximus, quieto inconcusoque iure, a nobis pietatis consideratione concessa, valeat possidere.